VENERANDE DOMINE PARENS!

PRima haec est disputatio, quam TVIS mandatis obsequens, conscribo, & quam proinde, ut frugi filium decet, obedientiam testaturus, Excellentissimo Nomini TVO sacram esse jubeo. Et quidem lubens id facio, nullâ compulsus necessitate, nullâ adductus vi, quae ab obsequio omni, si genuinum censeri debet, removenda est; nisi ex veterum sermone & hos obsequentes dicere velimus, qui inviti aliquid suscipiunt; quo sane nomine gladiatores illi appellati fuerunt, quos Marcus Imperator (*a*) per necessitatem armaverat. Aliam omninò mihi mentem, alium animum, alias denique dedicatio-

(*a*) Vid. *Joh. Schefferus* præfat. ad *Julium Obsequentem* de prodigiis.